



amore prosequabatur.

Hatto optima indole & fœlici ingenio præditus, literarum amore sese in monasteriū Augiæ maioris, ad lacum Podmicum recepit, atque diligenti studio breui in uirum doctissimum euasit. Itaq; factum ut omnium consensu eius loci abbas eligeretur. Eam functionem magna diligentia administrauit, atq; monachos suo exemplo ad uirtutem excitauit. Cum etiam postea Basiliensis Episcopus mortuus esset, in eius locum omnium suffragijs Hatto presul electus fuit. Erat autem eo tempore Carolus magnus Occidentis Imperator constitutus, qui Hattonem ob eruditionem & pietatem, atq; in rebus agēdis dexteritatem magno